der öffentlichen Prüfung aller Classen

des

Königlichen Gymnasiums zu Ratibor

den 11ten und 12ten April

und

dem Redeactus

den 14ten April

laden ergebenst ein

Director und Lehrercollegium.

Inhalt.

Ratibor 1832. Gedruckt bei F. M. Langer.

De quanquam particula.

Omnes fere viri docti, qui recentioribus temporibus libros grammaticos linguae latinae conscripserunt, singularem quendam, quem *absolutum* vocant, usum *quanquam* particulae tetigerunt, sed parum accurate, ut mihi quidem videtur, explicarunt. Sic Zumptius, Vir Doctissimus, in Grammat. lat. §. 341. illam particulam dicit proprio quodam modo interdum poni non in protasi, sed in enuntiationibus absolutis, ita, ut praecedentia respiciantur et absolvantur *). Huic explicationi adjungit, ut solet, aliqua hujus usus exempla, quae ita quidem interpretatur, ut haud facile quisquam alium in iis inesse sensum statuere possit, nemo tamen intelligat, unde haec particula illam praecedentia *respiciendi* et *absolvendi* vim sumserit, neque quomodo ipsa illa verba, quae proferuntur, cum praegressis, quae non sunt apposita, conjungi debeant. Otto Schulzius **), Vir Doctissimus, hanc particulam putat in fine alicujus enuntiationis poni interdum, ut praecedentia *restringat*, saepius, ut scriptor aliqua indignatione commotus ea, quae antea dixerit, *tollat*; neque hic exemplis

---

*) Ut dijudicari possit, an Zumptii verba, quae non ad hanc solam particulam, sed ad alias plurimas, ut *verum*, *sed*, *tamen*, *nam* etc., referri posse videntur, vere reddiderim, ea ipsa apponam: Hier wollen wir nur bemerken, daß quanquam eine eigenthümliche Stelle in *absoluten* Sätzen (nicht mehr Vordersätzen) hat, zurückweisend auf das Vorhergegangene und es gleichsam abschließend; so z. B. Cic. in Catil. I., 9. Quamquam quid loquor? und doch, was rede ich? ꝛc.

**) Gramm. lat. uber. §. 105. 42. Quanquam *wiewohl*, *zwar*, läßt in der Regel einen Nachsatz mit tamen, attamen, veruntamen, certe erwarten, oft aber steht es zu Ende eines Satzes, um eine einschränkende Bemerkung anzuknüpfen; häufiger noch, um oft mit einem gewissen Unmuth, etwas Vorhingesagtes durch eine Bemerkung wieder aufzuheben; ꝛc.

illis, quae affert, nos edocet, unde haec praecedentia restringendi aut tollendi significatio, quam inesse dicit huic particulae, orta sit; immo tantum abest, ut illo Ciceronis, qui laudatur, loco: Rem publicam, si licebit, more nostro tuebimur, quanquam admodum sumus jam defatigati, particula quanquam praegressa restringat, ut majorem contra illis vim addat. Dicit enim Cicero, se ne summa quidem defatigatione prohiberi, quo minus rem publicam tueatur. Jam si Ramshornium, Virum de grammatica latina alias saepe Meritissimum, hac de re consulis, in priore ejus grammaticae latinae editione nihil fere (v. p. 596. f.), in altera mirum hoc praeceptum invenis: particula quanquam apodosin, ubi haec praemittatur, ut omnino praecedentia corrigi; quare illam interdum poni initio periodi et in parenthesi *). Missa facio, quae in his non satis percipio, sed scire velim, quid sit illud, quod illam praecedentia corrigendi vim huic voci tribuerit et qualis sit illa. Nam aliae quoque particulae plurimae, ut vel, vel potius, sed, certe etc. ejusmodi vim habent. Atque sic etiam in aliis libris grammaticis recentioribus, qui mihi quidem ad manus sunt, Schelleri, Broederi, utriusque Grotefendi, Ruddimanni, Reuscheri accurata hujus rei expositio adhuc desideratur. Neque ex annotationibus virorum doctorum aliquid auxilii peti potest, qui, quod sciam, aut id tantummodo docent, quomodo hic illic quanquam verti debeat, ut Goerenz. ad Cic. de fin. III, 2, 5. Passov. ad Tac. Germ. 18, aut locis allatis probant, hanc particulam cum conjunctivo posse conjungi, ut Goerenz. ad Cic. de legg. III, 8, 18, de fin. I, 17, 55, Acad. I, 8, 30. Matth. ad Cic. pro Mur. §. 20. Ellendt. ad Brut. XXX, 115. Kühner. ad Cic. Tusc. V, 30, 85. Müller. ad Cic. de orat. I, 6, 28. Frotscher. ad Quinct. X, 2, 21. etc.

Qua de re ut aut ipse proferam, quod rei satisfaciat, aut certe viros sagaciores excitem, ut in neglectam hanc grammaticae latinae partem accuratius inquirant, uberius paullo de particulae quanquam vi et usu exponam; quod tamen tum demum recte fieri poterit, si prius de ejus origine viderimus **).

*) Ut hic quoque perspiciatur, an Viri Doctissimi verbis vim fecerim, totum locum describam: Quanquam, dem Nachsatze nachstehend, berichtigt denselben, — und überhaupt das Vorhergehende; daher (sic!) am Anfange einer Periode wie Cic. Legg. I, 1, 5. Cat. maj. XIX, 67. und bei Parenthesen. (Ramsh. Gramm. lat. pag. 882, ed. alt.) Quomodo tamen id fieri possit, ut haec particula, ubi apodosi postponatur, ibidem etiam initio periodi collocetur, me quidem fugit. Ceterum hanc particulam esse corrigentis, quod Ramshornius, Goerenz. quoque censet ad Cic. Acad. I, 2, 6. Conf. Beier. ad Cic. Lael. IX, 2. Gernh. ad Cic. de off. II, 12, 43.

**) Fusius de hac re disputavit Perizonius ad Sanctii Minerv. III, 14, 7, p. 600 ed. Scheid. — Conf. Lisch. in annalibus philologiae editis a Jahnio XIV, 1. p. 89. etc.

Ut quam particulam ex pronomine relativo qui, ita quanquam ex pronomine quisquis ortam esse, nemo erit, qui neget. Illud si interpretaris: ad quam rationem, qua ratione, hoc significabit: ad quamcunque rationem, quacunque ratione, ut origine et significatione simile sit particulis quamvis, quamlibet, quantumvis. Litterae qu, in qua inest vis relativa saepe demonstrativae significationis respondere literam t, docent voces, quales sunt: quot — tot, qualis — talis, quantus — tantus, quam — tam. Sic nostrae particulae quanquam respondet tamen, sive hoc ortum est a tame *), sive quod equidem malim a tam adjectis, ut in pronomine idem, literis em, quae hic euphoniae causa mutantur in en, sed eandem huic voci atque illi pronomini vim addunt **). Mihi enim voculae illae quum (quom), tum, quam, tam antiqui pronominum esse videntur accusativi. Quod si vere disputavimus, Ciceronis verba Cat. maj. XIII, 44: Quanquam immoderatis epulis caret senectus, modicis tamen conviviis potest delectari — erunt explicanda: ad quamcunque rationem (in quemcunque modum) caret senectus immoderatis epulis, ad eandem rationem (in eundem modum — tamen — nihilominus) modicis conviviis potest delectari. Veram esse hanc interpretationem, confirmari videtur aliarum particularum usu, ut: Plaut. Cist. I, 1, 3. Ut ut erga me est meritus, mihi cordi est tamen. Terent. Phorm. III, 1, 4. Nam ut ut erant alia, illi certe, quae nunc domi tuae est, consuleres. Livius VII, 13, 7. Utcunque se habet res, te de nostra virtute dubitasse videri, quam nos de tua, verius est. — Quod vero apud optimos quosque scriptores cum indicativo conjungi solet, id in hoc ipso positum est, quod a pronomine quisquis, quod cum hoc modo construeretur usus linguae voluit, originem ducit.

Quanquam particula igitur duas enuntiationes, quarum altera alteram tollere videtur, ita conjungit, ut haec illi non repugnare, sed utraque vera esse dicatur. Atque hanc quidem vim et significationem, etiam ubi paulo liberior est ejus usus, ubique retinet.

Atque hoc primum facillime intelligitur in iis locis, ubi apodosis aperte prius est enuntiationis membrum, protasis posterius, ut in illis verbis Ciceronis, quae jam antea laudavimus, ad fam. XII, 25: quam (rem publicam), si licebit, more

---

*) Cf. Conr. Leop. Schneider. Elementarlehre p. 175. et 319. Perizonius l. l. p. 601. ed. Scheid.

**) Cf. Perizon. ad Sanct. Minerv. III, 14, 10.

nostro tuebimur, quanquam admodum sumus jam defatigati *). Patet enim, sensum eundem esse ac si Cicero scripsisset: Quanquam admodum sumus jam defatigati, tamen rem publicam, si licebit, nostro more tuebimur. Causa, cur scriptor hujus enuntiationis membra aliter collocavit, et hic et alibi inde repetenda est, quod sic haec verba praecedentibus (hoc quidem loco: Hirtium quidem et Pansam, collegas nostros etc.) facilius et commodius adjunguntur et id, quod dicenti gravissimum est, prius absolvitur et maxime ante oculos ponitur. Conf. Cicer. de oratore III, 7, 27: Atque id primum in poëtis cerni licet, quam sint inter sese Ennius, Pacuvius, Attiusque dissimiles, quam apud Graecos Aeschylus, Sophocles, Euripides; quanquam omnibus par paene laus in dissimili scribendi genere tribuatur. Quo loco verba eodem modo et eadem de causa atque supra transposita sunt. Quod si de interpunctione in ejusmodi locis quaeritur, Orellius viderit, cum alibi, ut Cic. ad fam. XII, 25. De orat. III, 7, 27. Tuscul. IV, 21, 48. Cato maj. IV, 10 etc. minus plene interpunxerit, quo jure idem Brut. XVI, 62, De legg. I, 1, 3. Cato maj. VII, 24 etc. punctum posuerit, atque cur idem de orat. III, 14, 55 etc. non secutus sit interpungendi rationem, qua usus est Epist. I, 9, 2. etc.; nam quanquam ibi ad praecedentia verba „est enim eloquentia una de summis virtutibus“ non ad sequens „sed tamen“ est referendum. Eodem modo Kühner. Cic. Tusc. I, 37, 90 et III, 22, 52, errasse videtur, sicuti I, 42, 99, ubi etsi etiam praecedentibus adjunctum est. Atque C. Beier ad Cic. Lael. IX, 2, injuria reprehendit Oschn. in eccl. p. 165 et 208, quod ibi quanquam et q. seqq. superioribus opposita existimavit, ipse Ciceronis verba nimis artificiose explicans. Sic etiam Tac. Ann. VI, 30, ubi nunc legitur: Haec, mira quanquam, fidem ex eo trahebant etc. reponendum est: Haec mira, quanquam fidem ex eo trahebant etc.

Deinde invenitur haec particula multis locis in parenthesi, ut putant, collocata. Sed hic quoque suam, quam significavimus, vim retinet. Sic Cicer. de legg. III, 2, 8. Est enim mihi magnae curae (quanquam hoc quidem proprium tuum munus est) ut ita erudiatur, ut et patri et Caepioni nostro et tibi tam propinquo respondeat. Et ibidem III, 14, 31. Non tantum mali est peccare principes (quanquam est magnum hoc per se ipsum

*) Ad Goerenzii quidem arbitrium vel potius libitum ad Cic. de legg. II, 6, 14 et alibi verba quanquam — defatigati apodosis erit dicenda; quae praecedunt, quod, opinor, praecedunt, protasis.

malum) quantum illud — quod permulti imitatores principum existunt. — Si quis enim ejusmodi locos accuratius consideraverit, inveniet, nihil fere eos differre a priore, de quo disputavimus, genere. Nam verba illa, quae editores atque etiam Goerenz., cujus v. ad hunc locum et ad l. II, 22, 72 annotationes, et Orellius parentheseos signis incluserunt, quid sunt aliud, quam protasis ceterorum? Dicit enim Cicero illo loco: Quanquam hoc quidem proprium tuum munus est, est mihi tamen magnae curae, ut ita erudiatur cet. hoc: quanquam peccare principes magnum hoc per se ipsum est malum, tamen non tantum est, quantum illud, quod permulti imitatores principum existunt. Atque meo quidem judicio his verbis parentheseos natura ita tantum tribueretur, ut scriberemus: hoc tamen proprium tuum munus est; — est tamen magnum hoc per se ipsum malum. Quorsum igitur parentheseos signa, quibus unius enuntiationis membra male divelli apparet*), atque loci facillimi ita interdum obscurantur, ut vix possint intelligi? Sic foede corruptus adhuc legitur apud Livium locus, qui est l. XXI. c. 49. Sed quia aliud ibidem latet vitium, quod virorum doctorum sagacitatem adhuc fugit, rem paulo altius repetamus. Enarrat Livius, quae primo anno belli Punici secundi circa Siciliam gesta sunt: Hieronem regem, postquam ex captivis audiverit, Carthaginiensium praecipuam curam esse Lilybaei occupandi, M. Aemilio praetori, cujus Sicilia fuerit provincia, perscripsisse et monuisse, Lilybaeum firmo teneret praesidio. Deinde leguntur haec: Extemplo et circa a praetore ad civitates missi legati tribunique, suos ad curam custodiae intenderent; ante omnia Lilybaeum teneri: ad apparatum belli, edicto proposito, ut socii navales decem dierum cocta cibaria ad naves deferrent; ubi signum datum esset, ne quis moram conscendendi faceret: perque omnem oram qui ex speculis prospicerent adventantem hostium classem. Simul itaque (quanquam de industria morati cursum navium erant Carthaginienses, ut ante lucem accederent Lilybaeum) praesensum tamen est, quia et luna pernox erat, et sublatis armamentis veniebant; extemplo datum e speculis signum et in oppido ad arma conclamatum est et in naves conscensum.

---

*) Istam enim interpungendi rationem si sequimur, tunc ubicunque conjunctio quaedam mediis verbis interjecta est, parentheseos signa ponenda erunt, at quis Cic. in Verr. 1, 24, scribere voluerit: Marcelli, Scipionis, Mummii domus (quum honore et virtute florerent), signis et tabulis pictis erant vacuae. Confer. tamen Goerenz. ad Cic. de fin. III. 11, 36, qui falso putat, rarissimum esse post hanc particulam, si postponatur, omitti tamen, et qui, ubicunque hoc omittatur, verba quanquam .... παρενθετικῶς ponenda existimat, quasi omissum tamen certa parentheseos sit nota. Vide ejusdem not. ad Acad. II, 45, 139.

Descripsi locum, qualis est in editione Baumgarten-Crusii,[1] quae prodiit Lipsiae sumtibus Teubneri 1826. Quas enim Vir ille Doctissimus in priore hujus loci parte secutus est lectiones, easdem ego sequendas esse censeo, nisi quod cum Voss. Lovel. 1. 4. 5. Harl. Gaertner. Hearnii D. et edd. antiquissimis malim: ne quid moram conscendendi faceret atque pronomen qui in verbis perque omnem oram qui — prospicerent pendere a superiore missi vel ab: edicto proposito mihi persuadere non possum, cum aperte conjungenda videantur: ut — qui prospocicerent. Sed de his dubitari poterit. At mirum videri debet, neminem in seqq. verbis pravam interpunctionem et manifestum lectionis vitium offendisse. Cum enim Glareanus ad verba Simul itaque annotasset: Vide, ut suspensum est ad longe sequentia extemplo datum signum etc. aut quod non sentiebat, simul h. l. esse idem quod simul atque, aut ut sua annotatione indicaret, apodosin hujus periodi initium capere a verbis extemplo datum signum: I. Fr. Gronovius, ut simul itaque cum seqq. praesensum tamen est conjungeremus, media verba parentheseos notis inclusit *). Hinc factum est, ut particulae quanquam et tamen, quae sibi aperte respondent, ita disjungerentur, ac si quanquam re vera absolute positum esset et tamen in reliquis verbis antecedentibus haberet aliquid, cui opponeretur. Primum igitur, ut locus intelligi possit, removendae sunt parentheseos notae. At deinde quis est, qui ferre possit, quod ibidem legitur: de industria morati cursum navium erant Carthaginienses, ut ante lucem accederent Lilybaeum? Qui enim de industria morantur, ii hoc facere putandi sunt eo consilio, ut post, non ut ante constitutum aliquod tempus aliquo perveniant. At Carthaginienses ante lucem accedere voluisse Lilybaeum res ipsa docet; quare accelerasse non retardasse cursum debent. Latet igitur mendum in voce morati, pro quo restituendum est moderati; quae vox ut hic de accelerato sic de retardato navium cursu invenitur apud Tacit. Ann. II, 70: Nec Piso moratus ultra, navis solvit; moderabaturque cursui, quo propius regrederetur, si mors Germanici Syriam aperuisset.

*) Simili modo idem vir doctissimus l. XXI, 8. Livii verba depravasse videtur. Scripsit enim, quod a recentioribus editoribus retentum est: Et non sufficiebant (jam enim feriebantur arietibus) muri, quassataeque multae partes erant etc. Verum jam vidisse videtur Dukerus. Nam illud enim non solum ad feriebantur arietibus, sed ad omnia, quae sequuntur usque ad prociderant referendum est; neque in eo, quod jam feriebantur arietibus, causa posita esse potest, cur non suffecerint muri; sed his verbis exponitur, quomodo factum sit, ut non sufficerent oppidani ad omnia scilicet tuenda atque obeunda. Conf. ejusd. libri c. XI. Praeterea ne verborum quidem collocatio haec parentheseos signa pati videtur.

Jam ex iis, quae diximus, facile intelligitur, in talibus locis, quales laudavimus nihil esse, cur usus quanquam particulae absolutus vocetur. At restat tertium genus, ad quod absolutum illum usum maxime referre videntur grammatici. Excipit enim interdum hanc vocem interrogatio quaedam, ut Cic. de orat. II, 47, 197: Quanquam te quidem quid hoc doceam? Cic. pro reg. Dejot. 3, 9: Quanquam cui sunt inauditae cum Dejotaro querelae tuae? Cic. Cat. maj. XIX, 67: quanquam quis est tam stultus etc.? ibid. 69. quanquam, o dii boni, quid est in hominis vita diu? Cic. ad famil. XV, 16: quanquam quicum loquor? etc. Atque in his quoque locis apodosis protasi praecedit, saepenumero autem non est simplex enuntiatio, sed ipsa ex pluribus enuntiationibus est composita, unde fit, ut quae sit inter utramque conjunctio, aliquantum obscuretur, quae obscuritas illa, quam sequi diximus, interrogatione fortasse augetur. At si ejusmodi quoque locos accuratius examinaveris, haud ita magnum discrimen inter hos et eos, de quibus antea diximus, intercedere invenies neque unquam particulam a primaria quam habet vi et significatione recedere videbis *). Quod ut demonstremus, locos quosdam hujus

*) Non possum committere quin hic referam quorundam virorum doctissimorum, quam familiari sermone mecum communicaverunt, de ejusmodi locis sententiam; qui quanquam grammaticorum, quos supra laudavi, hujus rei expositionem non probant, nihilominus mihi non assentiuntur. Ita enim statuendum esse censent illi: Quanquam in his locis per se solum facere protasin et supplenda esse verba quaedam, ut sit: quanquam ita est, quanquam res ita se habet vel simile quid. Quae sequantur verba esse apodosin; quare post quanquam recitanti paululum subsistendum esse. Quanquam quid loquor igitur esse: quanquam hoc ita est, quid loquor? Quod si probatur, interpungendum erit: Quanquam —, quid loquor? — At equidem persuadere mihi non possum, conjunctionem aliquam, qualis est quanquam, unquam poni posse pro tota enuntiatione, nisi ubi plane abrupta est oratio, ut Virg. Aen. V, 194:

Non jam prima peto Mnestheus, neque vincere certo;
Quanquam O! sed superent, quibus hoc, Neptune, dedisti.

Neque habent omnino viri illi quidquam, quo suam sententiam defendant, nisi quod interrogationem non posse cum praecedente conjunctione una enuntiatione comprehendi dicunt. At haec conjunctio mera est relativa. Cur igitur haec minus recte interrogationi praecedat quam pronomen relativum vel interrogativum, ut: quo quid potest esse turpius? quis quem fraudasse dicitur? Neque difficile sed longum est, ostendere, hanc explicandi rationem ne sensui quidem multorum locorum satis accommodatam esse. Deinde viris illis haec interrogatio multo minus offensioni fuisset, si reputassent, scriptores Romanos, ubi quid iis aperiendum, confitendum, silentio non praetermittendum, interrogandum est, hoc se dicturos esse plerumque non indicare, sed statim id, quod est dicendum, proferre ipsum; ut Cic. ad fam. I, 7: Quod scribis te velle scire, qui sit rei publicae status: summa dissensio est pro: confitendum est, summam esse dissensionem. Quod ad me, mea Terentia, scribis, te vicum vendituram: quid, obsecro te, quid futurum est? Qua re si qua in illis locis elipsis statuenda est, haec, si qua est, erit: Quanquam interrogari potest, quid loquar. Denique quo minus ad illorum sententiam accedamus, id quoque prohibet, quod ne semel quidem, quod sciam, apud antiquos scriptores in ejusmodi locis post quanquam reperitur tamen, ut esset: quanquam —, quid tamen loquor?

generis proponemus et interpretabimur. Simplicissimus est, qui legitur de orat. II, 47, 196, 197, ubi Cicero Antonium dicentem facit: Quibus omnibus verbis, quae a me tum sunt habita, si dolor abfuisset meus, non modo non miserabilis, sed etiam irridenda fuisset oratio mea. Quamobrem hoc vos doceo, Sulpici, bonus ego videlicet atque eruditus magister, ut in dicendo irasci, ut dolere, ut flere possitis. Quanquam te quidem quid hoc doceam, qui in accusando sodali et quaestore meo, tantum incendium non oratione solum, sed multo etiam magis vi, et dolore, et ardore animi concitaras, ut ego ad id restinguendum vix conarer accedere? Quibus verbis non vereor, ne quis sit, qui hoc dici neget: Quanquam non est, cur te hoc doceam, ut in dicendo irasci, ut dolere, ut flere possis, Sulpici, qui in accusando sodali meo tantum incendium — concitaras, —; bonus tamen ego atque eruditus magister hoc vos doceo. Ita tamen collocatis verbis vix placere potest verborum lusus, qui inest in iterata voce docere. Eodem plane modo Cic. in Cat. I, 9, 23: Infer patriae bellum, exsulta impio latrocinio, ut a me non ejectus ad alienos, sed invitatus ad tuos isse videaris. Quanquam quid ego te invitem, a quo jam sciam esse praemissos, qui tibi ad Forum Aurelium praestolarentur armati? i. e.: Quanquam nihil est, cur ego te invitem, qui jam tua sponte ad tuos profecturus es, jubeo (invito) tamen te conferre ad Mallium etc. Conf. Cic. pro reg. Dejot. 3, 9: Quum facile exorari, Caesar, tum semel exorari soles. Nemo unquam te placavit inimicus, qui ullas resedisse in te simultatis reliquias senserit. Quanquam cui sunt inauditae cum Dejotaro querelae tuae? Nunquam tu illum accusavisti ut hostem, sed ut amicum etc. Hoc est: Quanquam nemini sunt inauditae cum Dejotaro querelae tuae, nunquam tu illum accusavisti ut hostem, sed ut amicum; nemo tamen unquam te placavit inimicus (i. e.: id tamen silentio praeterire non possum, te neminem unquam placavisse inimicum), qui ullas resedisse in te simultatis reliquias senserit. Paulo difficilior, quanquam eodem modo explicandus est, qui legitur locus Cicer. in Catil. I, 9, 22: Quanquam quid loquor? Ibi enim tota fere, quae praecedit, oratio pro apodosi haberi potest, certe inde a §. 20. haberi debet. Si enim simplicem, quem hic Cicero cupiditate et ira incensus illis verbis profert, quaeris sensum, hic est: Quanquam non est, cur loquar, cum nulla te res frangat, neque tu te unquam corrigas, ne tamen dubita, si hic emori aequo animo non potes, abire in aliquas terras, et vitam istam, multis suppliciis justis debitisque ereptam, fugae solitudinique mandare etc. etc. Atque ita ubique quanquam particulae apodosis praecedit, si non est postposita. Quare cur et quo jure viri grammatici absolutum quendam usum hujus vocis sibi fingant, eique si non plane alienam a primaria significa-

tione certe ejus naturae non satis accommodatam vim tribuant, ego non intelligo. Neque tamen infitias eo, illam esse, quod Zumptius vult, ejus, qui praegressa respiciat; id enim proprium est cuique fere conjunctioni. Neque nego, illam esse, quod Schulzius vult, restringentis; interdum enim protasis apodosi postposita tantum habet ponderis, ut, etiamsi scriptor hac particula id, quod apodosis contineat, non tolli significet, hujus tamen vis magnopere diminuatur, ut cum dico: Dux victoria illa reportata totam civitatem servavit, quanquam multa millia civium in proelio occisi sunt. Neque nego, esse illam, quod Ramshornius vult, corrigentis; qui enim praegressis aliquid adjicit, quod iis sit oppositum, is, quanquam illa esse vera neque hoc oppositum illis repugnare hac ipsa particula addita indicat, ex aliqua tamen parte exceptionem quandam admittit atque illa non absolute sed in universum tantum vera esse dicit et sic se ipsum quasi corrigit, ut Cic. Tuscul. IV, 21, 48. An vir fortis, nisi stomachari coeperit, non potest fortis esse? Gladiatorum id quidem: quanquam in iis ipsis videmus saepe constantiam; colloquuntur, congrediuntur, queruntur, aliquid postulant, ut magis placati, quam irati esse videantur. Sed in illo genere sit cet. — At ita hujus vim et significationem non accurate definiri, jam ex eo patet, quod triumviri illi grammatici, quamvis diversum sit, quod statuunt, omnes tamen aliquid, quod negari possit, dixerint.

Illa vero quam habet particula quanquam constructionis proprietas tota profecta est a natura et indole linguae latinae, cui hoc utique maxime proprium est, ut plures enuntiationes, quas cum alii populi tum maxime Germani separatim proferunt, adhibitis pronominibus relativis in unam conjungat periodum. Atqui si recte de origine hujus vocis supra disputavimus, est illa vere relativa. Jam si lingua patria multis locis non patitur, ut relativam hujus particulae vim ad verbum exprimamus, propterea non ad singularem quendam usum, qui ejus naturae plane alienus videtur, confugiendum est, id quod certe alibi, ubi in similes difficultates incidimus, facere non solemus. Sic nemo est, qui Ciceronis verba Lael. XIII, 47. Amicitiam e vita tollunt: qua nihil a diis immortalibus melius habemus, nihil jucundius, — ita in nostram linguam transferre possit, ut pronomen relativum in demonstrativum non vertat, aut qui illa verba Livii, quae leguntur l. XXII, 45: Hannibal — Numidas ad invadendos aquatores trans flumen mittit; quam inconditam turbam quum vixdum in ripam egressi clamore ac tumultu fugassent, in stationem quoque pro vallo locatam atque ipsas prope portas evecti sunt. — haec igitur Livii verba nemo est, qui, ut illa latine sunt expressa, ita nostra possit exprimere lingua, sed quas enuntiationes scriptor Romanus pronomine relativo commode conjunxit, eas nos quidem particulae alicujus ope conjungere et pro relativo demonstrativum ponere

coacti sumus. Facile intelligitur, in ejusmodi locis e scriptoris arbitrio pendere, utrum plures enuntiationes per pronomen relativum inter se connectere, an singulas separatim proferre velit. An quis offenderet in illo Livii loco, si pro: quam inconditam turbam etc. legeretur: et hanc incond. turb. vel hanc autem inc. turb. Ceterum quae insit adnectendi et conjungendi vis in pronomine relativo, id maxime intelligitur et ex conjunctionibus illis: quodsi, quodnisi, quodubi etc. *), et ex iis locis, ubi illud continuandae ei constructioni, quem accusativum cum infinitivo dicere solemus, inservit, ut: Cic. in Verr. V, 62: esse civem Romanum, qui se Syracusis in lautumiis fuisse quereretur, quem jam ingredientem navem et Verri nimis atrociter minitantem, a se retractum esse et asservatum, ut ipse in eum statueret, quod videretur **). Ut igitur in his locis liberior pronominis relativi est usus quam apud nos, ita etiam particula quanquam liberius apud Romanos usurpatur, quam nostrum obgleich, wiewohl; sed ut illud pronomen nusquam exuit naturam suam, sic etiam haec in omnibus quos perlustravimus locis a se ipsa non abhorret. Nihil igitur mirum videtur, neque absolutus quidam hujus vocis usus eo efficitur, quod nos quanquam saepenumero melius per und doch, vel aber doch reddimus, quam per obgleich, wiewohl; ut nemo pronominis relativi absolutum quendam usum statuet, ubi hoc nobis per: und dieses, aber dieses transferendum est. Ita fit, ut plerumque perinde sit, utrum quanquam an tamen vel et tamen, sed tamen, quod tamen scribas ***). Si enim Livius l. XXII, 39: Ominis etiam tibi causa absit C. Flaminii memoria, tamen ille consul demum et in provincia et ad exercitum coepit furere et Cicero de orat. III, 7, 28: Quis eorum non egregius? tamen quis cujusquam nisi sui similis? — uterque pro tamen scripsissent quanquam, id non magis sensum et dicendi formam mutaret, quam si apud Liv. l. XXII, 45: in dextro cornu, id erat flumini propius, Romanos equites locant, — scriptum esset: quod erat flumini propius ****). Atque sic

*) Conf. Zumpt. Gr. lat. §. 798 et 799.

**) Vid. Zumpt. Gr. lat. §. 603.

***) Sic interdum perinde est, utrum cum an tum scribas; ut bene dici poterat Liv. I, 26, Accesserat lictor, injiciebatque laqueum, cum (legitur: tum) Horatius: Provoco, inquit. Et ibid. paullo antea: Duumviri — condemnarant, cum alter ex his, Horati, inquit, — pro eo quod legitur: cum condemnassent, tum —. Conf. Ramsh. Gr. lat. §. 189, III, 3.

****) Ejusdem naturae est Cic. Tuscul. III, 6, 13: Nos audeamus non solum ramos amputare miseriarum, sed omnes radicum fibras evellere. Tamen relinquetur fortasse = quanquam relinquetur fortasse. Sicuti alii post quanquam ellipsin statuunt, sic hic Kühner. cum Ramshornio Gr. §. 205. ante tamen ex orationis tenore aliquid mente supplendum censet; id, credo, quod jam adest.

etiam Cicero Cat. maj. I, 1, scribere poterat: Novi enim moderationem animi tui et aequitatem, teque non cognomen solum Athenis deportasse, sed humanitatem et prudentiam intelligo; quanquam (nunc legitur: Et tamen) te suspicor eisdem rebus, quibus me ipsum interdum gravius commoveri etc. — et Lael. XXI, 76: Erumpunt saepe vitia amicorum tum in ipsos amicos, tum in alienos, quanquam eorum (nunc legitur: quorum tamen) ad amicos redundet infamia. — Ibid. §. 78. Ex inimicitiis jurgia, maledicta, contumeliae gignuntur, quanquam hae (nunc legitur: quae tamen) si tolerabiles erunt, ferendae sunt etc. Et Epist. I, 5. init: Quanquam (legitur: Sed tamen) in hujusmodi perturbatione rerum — nihil magis quam perfidiam timemus. Quod vero de adjungendis per relativum periodis dictum est, idem valet de inserendis in mediam orationem enuntiationibus. Erunt igitur interjecta illa verba: quanquam hoc quidem proprium tuum munus est id quod sed hoc tamen vel quod tamen proprium tuum m. e.

Cum mihi non sit propositum, ut exponam, quid sit discriminis inter quanquam et ceteras particulas, quae idem fere significant, ut quamvis, etsi, tametsi etc., id tantum restare videtur, ut similem aliarum particularum usum locis allatis breviter indicem.

Atque primum etsi, etiamsi, quamvis saepenumero apodosin habent antecedentem, ut Cic. de orat. III, 5, 17: Quid est, Crasse, inquit Julius, imusne sessum, etsi admonitum venimus te, non flagitatum? Cic. Cat. maj. I. 2. Hoc enim onere, quod mihi commune tecum est, aut jam urgentis, aut certe adventantis senectutis et te et me ipsum levari volo: etsi te quidem id modice ac sapienter sicut omnia et ferre et laturum certe scio. Conf. Cic. ad Att. 7, 3. de fin. II, 14, 45. etc. Etiam duae vel plures eodem loco reperiuntur hujus generis particulae: Cic. Cat. maj. IX, 29: Nec ulli bonarum artium magistri non beati putandi, quamvis consenuerint vires atque defecerint: etsi ista ipsa defectio virium adolescentiae vitiis efficitur saepius quam senectutis. Cic. de fin. III, 2, 5: Quodsi in lingua Graeca, quam plerique uberiorem putant, concessum est, ut doctissimi homines de rebus non pervagatis inusitatis verbis uterentur: quanto id nobis magis est concedendum, qui ea nunc primum audemus attingere; etsi — elaborandum est, ut hoc non in nostris solum artibus, sed etiam in illorum ipsorum consequamur: quanquam ea verba quibus instituto veterum utimur pro Latinis, ut ipsa philosophia, ut rhetorica, dialectica, grammatica, geometria, musica, quanquam Latine ea dici poterant, tamen, quoniam usu percepta sunt, nostra ducamus. — Cic. de div. II. 22: Quod crebro videt, non miratur, etiamsi, cur fiat, nescit.

Tametsi: Cic. in Cat. I, 9, 22: utinam tibi istam mentem Dii immortales duint, tametsi video, si mea voce perterritus ire in exsilium animum induxeris, quanta tempestas invidiae nobis impendeat. Plin. epist. III, 21: Dedit enim mihi, quantum maxime potuit, daturus amplius, si potuisset; tametsi quid homini potest dari majus, quam gloria et laus et aeternitas?

Quum. Cic. in Cat. I, 17: Quis te ex hac tanta frequentia, tot ex tuis amicis ac necessariis salutavit? Si hoc post hominum memoriam contigit nemini, vocis exspectas contumeliam, quum sis gravissimo judicio taciturnitatis oppressus? Corn. XIX, 1, 2: Fuit perpetuo pauper, cum ditissimus esse posset.

Quidem. Cic. ad fam. XIV, 4, 2: Huic utinam aliquando gratiam referre possimus! habebimus quidem semper.

Nisi quod. Tac. Agric. 6. Vixerunt mira concordia per mutuam caritatem et invicem se anteponendo: nisi quod in bona uxore tanta major laus, quanta in mala plus culpae est. Cic. ad fam. XIII, 1, 2: Cum Patrone Epicureo mihi omnia sunt, nisi quod in philosophia vehementer ab eo dissentio.

Nisi, nisi vero, nisi forte. Vide Ramsh. Gr. §. 190, n. 5 et 6.

Quasi. Cic. Tusc. III, 26, 62: Stultissimum est, in luctu capillum sibi evellere, quasi calvitio moeror levetur. Conf. Ramsh. Gr. §. 190, n. 2.

Atque haec quidem hactenus. Non enim tam vereor, ne quis plura hujus dicendi usus exempla desideret, quam timendum videtur, ne plurimi mirentur, cur tam multa ad rem non admodum obscuram illustrandam attulerim.

Schulnachrichten.

I. Lehrplan.

1. Prima.

Classen-Ordinarius der Director.

1. **Lateinisch.** Im Ganzen 8 Stunden. 2 St. Dialogus de claris oratoribus, dann Livii l. I. Director Hänisch. — 2 St. Horat. Od. l. I, II, III. Prorector (jetzt Rector in Liegnitz) Dr. Pinzger; seit Michael Director Hänisch. — 1 St. Freie Ausarbeitungen, 1 St. Extemporalia, 1 St. mündliche Uebungen im Uebersetzen aus dem Deutschen ins Lateinische (Praxis der lat. Sprache v. Wiß, 2. Cursus. Von S. 119. bis Ende.), 1 St. Disputiren. Dir. Hänisch. — Die Erklärung der Schriftsteller wurde in lateinischer Sprache gegeben.

2. **Griechisch.** Im Ganzen 6 Stunden. Demosthenis orat. de corona. Pror. Dr. Pinzger; seit Michael Prorector Dr. Müller. — 2 St. Homeri Ilias, XIV, XV; dann Sophoclis Antigona. Dir. Hänisch. — 1 St. Interpretationsübung, verbunden mit Disputationen in lat. Sprache. Es wurden mehrere Idyllen des Theokrit, Bion u. Moschus, einige Homerische Hymnen und Stücke aus den Elegikern mit besonderer Berücksichtigung des Dialekts abwechselnd von den Schülern erklärt, nach Wiedasch' Chrestomathie: „Die Dialekte der griech. Sprache. 2. Abtheilung. Gießen, 1822." Prorector Dr. Pinzger; seit Michael Oberl. Pinzger. — 1 St. Uebungen im Uebersetzen ins Griechische, theils durch Extemporalia theils durch Exercitia nach Blume's Anleitung zum Uebersetzen aus dem Lateinischen ins Griechische. Zuletzt wurden noch einige Abschnitte aus der Syntax durchgenommen. Prorector Dr. Pinzger; seit Michael Prorector Dr. Müller; seit März Oberlehrer Pinzger. — Die Interpretation der Schriftsteller war lateinisch.

3. **Hebräisch.** 2 St. In einer Stunde wurden einzelne Abschnitte aus den Büchern Moses und dem Buche Josua, desgleichen einige ausgewählte Psalmen erklärt; in der zweiten die Sprachlehre nach Gesenius wiederholt und Uebungen in Uebersetzungen aus dem Deutschen ins Hebräische nach Schröders Uebungsbuche angestellt. Curatus Heide.

4. **Französisch.** 2 St. Aus K. A. Menzel's Handbuche der neuern Französischen Sprache und Literatur wurden die Auszüge aus de Pradt, Ségur le fils, Ségur l'ainé, Joh. de Maistre,

